

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber  
specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

Caput XXVIII. Quomoda omnibus sanctis de fonte misericordiae propinavit.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](#)

n virtutum exercitiis exemplo meo prolatis, mihi deservire  
studebis. »

## CAPUT XXVIII.

QUOMODO OMNIBUS SANCTIS DE FONTE MISERICORDIÆ PROPINAVIT.

**A**LIA iterum nocte, requisivit Dominum quo in loco dis-  
poneret pernoctare. Qui respondit: « Ad radicem montis  
hujus deserti. » Adduxitque illam illuc ubi vidi fontem  
misericordiæ ad radicem montis scaturire, et in eo argenteam  
scutellam, dicens ad eam: « Hunc fontem omnibus et sin-  
gulis propina, secundum tuæ beneplacitum voluntatis. » Ad  
quod illa: « Obsecro, mi Domine, tu vicem meam supple,  
quia minus idonea sum ad hoc opus, cum sim debilis et  
infirma. » Tunc sancti Angeli vice ejus accedentes, ex fonte  
illo propinabant: primo, gloriosæ Virgini Mariæ, in aug-  
mentum totius beatitudinis suæ. Quæ dum biberet, singulæ  
guttulæ tam miræ suavitatis intra guttur ejus dabant reso-  
nantiam, quod omnes illius beatæ Jerusalem cives nova  
exultatione jubilabant. Deinde propinabant Patriarchis,  
Prophetis, Apostolis, Martyribus, Confessoribus, Virgi-  
nibus, Viduis, conjugatis, et omnibus cœli civibus; qui om-  
nes simili modo ex eo bibebant, et singulæ guttulæ in Dei  
laudem suavissimum sonum ut prius in Virgine Maria  
beata clangebant.

E fonte  
misericor-  
die potantur  
Sancti ad  
laudem Dei.

Dehinc etiam a præfato fonte misericordiæ militanti  
Ecclesiæ propinabant; et primo quidem Domno Apostolico,  
Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, et quibuscumque  
Religiosis. Post hæc Imperatori, Regibus, principibus et  
omnibus judicibus et rectoribus animarum; postremo vero,

Eodem  
reficiuntur  
militantis  
et patientis  
Ecclesiæ  
fideles.

omnibus in terra viventibus. Ad hæc quoque Angeli, vice Christi dilectricis, animabus purgandis etiam misericordiæ fontem propinabant. Omnes quidem ex eo bibebant, sed non omnes eamdem sonoritatem et suavitatem sentiebant, quam triumphans habebat Ecclesia. Post hæc Dominus ex Corde suo prædictis omnibus tam militantis quam triumphantis Ecclesiæ personis, nectareum poculum in parvo vasculo precibus ancillæ suæ benignissime propinabat.

## CAPUT XXIX.

## ITERUM DE FONTE MISERICORDIÆ.

Dona  
ex Deo  
ad originem  
suam per  
Cordivinum  
refluant.

**S**EQUENTI nocte, iterum in spiritu ad præfatum misericordiæ fontem deducta, vidit ex eodem fonte per maximam venam humilis gratitudinis ebullire, et ipsam venam per Cor Jesu Christi purissime in eumdem fontem refluere. Quod sane ita intelligendum est : Cum varia sint dona Dei, et non omnes homines eamdem habent gratiam, quia divisiones donorum sunt, unusquisque a Deo collato sibi dono sollicite intendat, et cum gratitudine in Deum refundat, aestimans se omni bono et ipsa vita indignum ; et in abjectione sui semper dicat : minor sum cunctis miserationibus tuis. Nec quidquam sibi boni amplius desideret, nisi quantum ad Dei laudem, et omnia quæ sibi evenerint, sive lœta sive tristia, ex nimia charitate a Deo sibi esse donata certissime sciat, et sic cum gratiarum actione in unione gratitudinis Jesu Christi, quasi per sanctissimum Cor ejus, in suam originem omnia Dei dona refundat.